



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Quid sit scrupulus, quae eius caussae; & vnde dignoscendum sit an aliquis
sit scrupulosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

TRACTATUS VII.

DE CONSCIENTIA SCRVPVLOSA.

Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritûs & tempestate. *Psal. 54. v. 9.*

Quid sit scrupulus, quæ eius cause, & unde dignoscendum sit an aliquis sit scrupulosus.

P R O O E M I V M.



*vix vllus
se putat
scrupulosi.*

Ulla sese, morales inter, offert materia, quam animo magis soluto licitum sit tractare, quàm ea quæ concernit scrupulos. Neque aded vlli sunt, quos etiam palàm totâ pro concione, sine minori offensa periculo, liceat impetere, reprehendere, vellicare quàm eos qui vulgò & sunt, & nominantur scrupulosi. Istud enim fascinationis lecum fert hîc animi morbus, vt ægrum non tantùm afficiat sed & dementet; sic vt nemo se eo contractum credat; nemo, inquam, sibi videatur scrupulosus, quantumcumque præ scrupulis, animo totus disfluat. Et quod magis est admirandum, à nemine credunt intemperiem suam obseruari, quantumuis ob actiones exorbitantes & ferè sanaticas, totâ vrbe sint deridiculi. Liberè itaque & impunè impetuntur scrupulosi, nemo enim se credit peti. Verùm & ob eandem causam, vereor vt operæ pretium sit, de scrupulis verba facere. Cùm enim nemo sit qui sese scrupulis agi, & non ratione optimâ se res suas agere sibi persuadeat, qui que quæ dicenda sunt, à se ipso procul amouebit, alieno que imponet capiti. Quod quidem fieri, facilè est conficere. Ipse enim tu, hæc qui jam legis, aut dicentem audis, aliquem mente designas, cui oppidò benè, credis dicenda conducere; neque vllus ferè totâ in concione est, qui non aliquem, quem animo concipit, dicendis optaret interesse.

esse. Et quidem illis id præsertim incidit, quos morbus hic maxime labefactat. Sic nemo videtur sibi scrupulosus, aliisque gaudet medicinam adhiberi, quâ cum maxime indiget, in eâ tamen aliis applicandâ est affatim liberalis. Frustrâ igitur laboraturum me timeo; cum primum medicinæ huic morbo præstandæ fundamentum sit ægrum se esse agnoscere; neque si curari vult, scrupulos dissimulare. Itaque ut materiam hanc ordine exponamus, saltem ut animarum curatoribus ad manum sint remedia, quæ importuno sanè morbo possint ritè applicare, id nunc agemus quod Medicis est solenne. Primum inquiremus quid sint scrupuli: deinde quæ tam molesti mali causa sit & scaturigò; tertio denique quæ sit huius morbi crisis, aut quæ signa sint, ex quibus, quis dicendus sit scrupulosus, euidenter queat cognosci. Hisce peractis, ad morbi penitus cogniti medicinam, facilis erit delapsus.

S. I.

Exponitur quid sit scrupulus, & in quibus animi motibus propriè consistat.

- I. PRÆter motus tumultusque animi, quos dubia illi ingesta solent excitare, quibusque detinetur mens & quasi suspenditur, sic ut ad iudicium ferendum in neutram partem possit inclinari; alia superest componendâ difficultas & quasi seditio, quæ ex scrupulorum importunis vocibus ducit exordium, totumque perturbationibus implet Conscientiæ senatum. Non quòd in senatum ipsum scrupuli penetrent, aut sententiæ de rebus ferendæ sese immisceant: verum uti plebis promiscuæ ante prætorium tumultuantis insanæ voces, Senatorum nonnumquam animos ita commouent, ut de constantiâ deiecti, in plebis inepta exigentis, & non ratione sed tumultu agentis omnia, non raro sese vota inclinent, maiorisque mali metu sententiam proferre non audeant; sic sanè fit sæpissimè, ut tantus ad Conscientiæ subselliâ, à scrupulis per vim se ingerentibus excitetur motus, ut licèt nulla sese offerat tumultus ratio, tamen perculsa stet Conscientia; quinimò

*A scrupulis
maxima oritur
Conscientiæ
quieti turbatio.*